1231 26/7 Rieti Convent of Bremen (prov. Teutonia)

Pope Gregory IX commissions the Bishop of Lübeck, the prior of the Friars Preachers in Bremen and the papal penitentiary, Fr. Johannes OP, to investigate reports received by the Curia from the clergy and nobility in both the city and archdiocese of Bremen, according to whom the Stedinger peasants practise several inappropriate beliefs and rituals.

Source: Original document. Niedersächsisches Landesarchiv, Stade.

> Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri ... episcopo Lubicensi et dilectis filiis ... priori sancte Catarine Bremensis et fratri Johanni penitentiario nostro de ordine predicatorum, salutem et apostolicam benedictionem. Si ea, que de hominibus, qui Stedigni dicuntur, nobis relata sunt, continent veritatem, plane posuerunt Deum sibi contrarium et se Deo, in illorum numero computandi, qui, prout Ysaias propheta commemorat, ipsi Deo dixerunt "Recede a nobis, quia nolumus vias tuas". Ex parte siquidem venerabilis fratris nostri ... archiepiscopi et dilectorum filiorum capituli et totius cleri ac nobilium civitatis et provincie Bremensis nuper relatum est nobis et non absque stupore mentis audivimus et horrore, quod homines ipsi ecclesias spoliis et incendiis ausu sacrilego devastantes, preter id quod nulli parcunt etati vel sexui, sacerdotes et clericos captivare presumunt, et quod deterius est, passim vulnerant et occidunt, non timentes, cum depredantur ecclesias, corpus dominicum de vasis excutere et suis predibus conculare et, abjecto a se penitus timore divino, se ad culturam demonum convertentes. Licet propter hec at alia multa enormia, que committunt, fuerint per eundem archiepiscopum sententia excommunicationis abstricti, et prepositus Monasteriensis eiusque college auctoritate apostolica sententiam ipsam usque ad satisfactionem condignam mandaverint observari, non solum tamen redire contempnunt ad ecclesiasticam unitatem, verum etiam adversus Bremensem ecclesiam, cui jugo servitutis tenentur obnoxii, committere pejora prioribus non verentur. Cum igitur tantum Dei contemptum nos non deceat equanimiter tolerare, de discretione vestra plenam in domino fiduciam obtinentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus ad revocandos illos ab huiusmodi perversitatibus vice nostra intendere procuretis, quibus modis videritis expedire, nobiles et potentes vicinos ad edomandam illorum perfidiam invocando, ita quod per sollicitudinem vestram illi ab errore vie sue ad dominum convertantur, et nos preter retributionem divinam possimus prudentiam vestram dignis in domino laudibus commendare. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, tu, frater episcope, cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Datum Reate ·vii· kalendas augusti, pontificatus nostri anno quinto.

Published: *Bremisches Urkundenbuch* vol. I no. 166; *Oldenburgisches Urkundenbuch* vol. II no. 62; DOPD 1231 26/7.